



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 5. Diuitiarum vanitas, ab exemplo Alarici Gothorum Ducis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

mines ante diluuium ex abundantia rerum in otium; ex otio in luxum; ex luxu in lamentabilem illam totius mundi calamitatem inciderunt. In Brasilia barbari, quia ob cæli clementiam nec vestitu indigent ad frigora arcenda, nec aratro ad victum comparandum, sed omnia sponte proueniunt, idcirco omnibus flagitijs cooperti sunt, & ritu bestiarum degunt. Nempe vbi maior egestas, maior honestas; & abundantia rerum, inopia est virtutum. caret ergo multis pedicis paupertas, quæ cum rerum affluentia remouet materiam superbiæ, ac omnium vitiorum. Cristas igitur demittit diues si seipsum rectè aspicit.

§. V.

Diuitiarum vanitas, ab exemplo Alarici Gothorum Ducis.

Paul. Diacon. lib. 13. hist. miscell. & Baron. An. 411.

Supercilium etiam ponere docetur, si ad finem respicit, omnis enim pompa diuitiarum, vno temporis momento, cum vitabit. Exemplum in Alarico Gothorum Duce exhibet Paulus Diaconus. Is Alaricus pecuniarum copia inflatus magis, quam plenus, totos se auri non acruos, sed montes possidere, omnem humanam opinionem excedentes, glorianter admodum iactabat.

Utrique

Utque cresceret tumor, iam spe quoque Si-
 ciliam deuorauerat; & sibi super hostium
 capita gradi videbatur. Sed subitò in illo
 contigit, quod Propheta dixit: *Vidi impium Psal. 364*
superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Li- 35.
bani, & transiui, & ecce non erat, & quesiui
eum, & non est inuentus locus eius. Siquidem
 dum iam iam traicere in Siciliam exercitū
 cogitaret, inciso consilio, frustra fuit.
 Quin etiam in Consentia regione, subita
 morte inopinataque extinctus est. Nec satis
 fuit, opes amississe, amisit etiam sepulturæ
 honores, utque memoriam quoque sepulturæ
 non haberet, Gothi illico Basentium amnem
 à suo alueo, per alium tramitem, captiuo-
 rum labore, deflexerunt. Vbi aqua defecit,
 & desiccatus est alueus, Alaricum ibi cum
 magnis opibus sepeliuerunt, rursusque flu-
 uium in alueum suum reuocârunt, ut terris
 pariter & aquis tegeretur. Ac ne memoria
 illius vlla extaret, aut sciri ex quoquam pos-
 set, ubi vel ossa, vel opes illius essent, capti-
 uos omnes, qui auertendo flumini inter-
 fuerunt, & locum tumuli cognitum habue-
 runt, è medio sustulêre. Ita qui *superexalta-*
tus & eleuatus erat, sicut cedri Libani, in tran-
situ esse desijt, & non est inuentus locus eius,

cui locus antè ædificatus fuerat palatium magnificum, cui spectacula & cœnacula erigebantur sumtuosa, jam nusquam apparet; neque tumulus eius apparet, quin & thesauri ipsi cum funere euanuerunt. Si speramus æterna, cur tantopere quærimus peritura?

Manil.
lib. 4.
Astron.

Vt veniant gemma, totus transbitur orbis:

*Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit
Annua solliciti consumunt vota coloni,
Et quanta mercedis erant fallacia rura,
Quæremus lucrum navis, mortemq; sequemur*

In prædas, pudeat tanto bona velle caduca.

§. VI.

Auaritia sordes & insatiabilitas, ab exemplis Mida, Vespasiani, Mich. Paphlaganis, Justiniani.

Auaritiam quis monstrum esse neget, eadem & mater est, & filia diuitiarum; parit enim illas, & paritur ab illis. Quia cum pecunia, vt dictum est, crescit cupiditas pecuniarum: & inde etiam illiberalitas; vt sæpe nemo magis parcus, tenax, retractus & restrictus sit (qui omnes in dando deficiunt) quam

Aristot.
lib. 4.
Ethic. c. 1.

restrictus sit (qui omnes in dando deficiunt) quam